



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Helenus C. 17. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Spiritum. Sed apud mortuum quoque medicinarum morborum quæsiuerunt, & verò reppererunt, Epileptici præcipuè, non ignari expertum mali huius medicum se accedere. *Ex Ferrar.*

Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumvenit iudicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, iuventus præcipitat, senectus frangit? S. Pet. Chryl. serm. 45.

S. HELENUS C. 17. Aprilis.

Fugiendum est citò, quod nocet citò: Sapientia in isto maturè HELENVS consilio, & è mundo prius quàm pueritiâ exiit, tutius inter feras, quàm homines victurus. Jejunia producenti cacodemoni escas obtrusit; sed HELENVS & cocum & dapiferum aspernatus cum Cælo quàm Orco prandere maluit; mox enim Angeli, ut Christo quondam dapes esurienti ministrarunt. Tanto deinde promptius ipse quoque per longa itinerum spatia alia prandia ferre, & si oneri succubuiisset, onagris imponere, nil repugnantibus pigerrimis alioquin animantium. Neque jam solum onera illius assidue sed ipsum etiam HELENVM, cum Myrtam sacrificii causâ accerferet, per amnè crocodilus transverit aded sanctitati obtemperant omnia. Discipulus eius cum Orci minister libidinis faces admoveret, incendiarium HELENVS ad tantas redegit angustias, ut extra circulum, quem in arenâ scipionis descriperat, ne latum quidem unguem aut unguulam ponere sit ausus, donec turpe incendium extingueret. Illud etiam memorabile, quòd illæsus ignem calcavit, ut Zaream Hæreticum falsitatis argueret, qui perfidiam suam per flammam probare non ausus, Catholicæ Religionis, ut veri auri, præ-

18. Aprilis
tium a
litanam
ronam

Si ut
persister
nitate
destruc
temæ;
S Pet.

Q
per vi
ejus c
cultat
inter
ration
cum a
ampli
sublin
gio fi
bus p
creat
reliq
voci
obtin
poru
lemu
bos
depu
lium
giur
min

18. April. VITÆ SANCTORVM. 199
tium auxit. His facinoribus HELENVS Heliopo-
litanam primùm mitram, deinde æternitatis co-
ronam meruit. Ex vitis PP.

*Si vis animam tuam in sua virginitatis integritate
persistere, aures & oculos à negotiorum secularium va-
nitate firmiter obstrue, carnalium hominum colloquia
destructioni magis quàm edificationi profutura con-
temne; nam qui tangit picem, inquinabitur ab eâ.
S Pet. Dam. Op. XII.*

S. URSMARUS C. 18. Aprilis.

Q UO tempore mater gravem URSMARO fere-
bat uterum, venerandâ fortè canitiæ senex
per visum astitit, puerulumque, manu gestatum
ejus curæ commendavit. Excusanti annonæ diffi-
cultatem panem candidum porrexit, novo mox
inter manus auctu grandescentem; prodigiique
rationem ad nascituræ prolis doctrinam retulit,
cum annis ad multorum mortalium emolumenta
amplificandam. Simul monstravit enitentem in
sublime filiolum per scalam cælo insertam. Præsa-
gio fidem adstruxit vita cælitibus quàm homini-
bus propior: nam Episcopus tempore succedente
creatus, novem annis à pane humano temperavit,
reliqui cibi tam modicus, ut validæ membrorum
vocisque vires haud immeritò miraculi instar
obtinerent. Dæmones frequenter injustâ cor-
porum humanorum possessione dejecit: metu
lemurum infestas ædes aquâ lustrali solvit: mor-
bos curationum fines egressos divinâ sanatione
depulit. Porrò charitas servandorumque morta-
lium studium in eminentissimum virtutis fasti-
gium assurrexit, cum esset quotidie cujusvis ho-
minis salutem sanguine vitæque recuperare pa-
ratus.